

qualitas: quosdam in ciuitate præpo-
 testes, quosdam egenos & imbecilles fa-
 ceret, sed omnes sicut in iure ciuiū, sic in
 bonorum abundantia plures essent:
 Quod in illa fortasse Republica expedire
 vir sapiens intelligebat, apud Romanos
 autem, quot quantarumque seditionum
 causam inuexerit, id ipsum continebat,
 notum est omnibus qui Romanos lege-
 rint labores. Itaque legem illam & docti
 & boni omnes execrantur. Vnde Cicero
 primum officium esse dicit Rempub. gu-
 bernantis, vt suum quisque teneat. Et post
 pauca: Capitalis, inquit, oratio est ad æqua-
 tionem bonorum pertinens, qua peste
 quæ potest esse maior? Hanc enim ob
 causam maximè vt sua teneretur Respub.
 ciuitatesque constitutæ sunt: Quam qui-
 dem ciuitatum cōmoditatem, eo articu-
 lo, quem in extremo posui, sustulisse vi-
 detur lex Lycurgi.

PYTHAGORAS.

DE quo vt dixi, cur in numerum Sa-
 pientum Græciæ non sit admissus
 mirabar, de Pythagora non admiror. Is
 enim vt in superioribus expositum est,
 gloriosum illud arrogans cognomen Sa-
 pientiæ erubuit, primusq; Philosophum